



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XIII. Cur Jesus iverit per medium Decapoleos? Dominica XI. Post Pentecosten. Venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos Marc. 7. v. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XIII.

Cur JESUS iverit per medium
Decapoleos?

DOMINICA XI. POST PEN- TECOSTEN.

*Venit per Sidonem ad mare Galilææ inter
medios fines Decapoleos*

Marc. 7. v. 31.

Non quocunque situ mere mihi liceat sensum , cur per viatorem DEUM medios fines Decapoleos Magister hominem quæram, semper medium tenuisse invenio. si jacet,in medio duorum animalium Bethlehemi jacet ; si sedet, in medio Doctorum Solymæ sedet; si stat,in medio discipulorum , imo in medio populi stat teste Joanne Præcursor: *medius vestrum stetit.* si recumbit,medius inter Apostolos recumbit , ita enim ipse de se in cœna ultima affirmat : *Ego autem in medio vestrum sum, si penderit, in medio pendet latronum ; si ambulat inter medios fines ambulat, ut hodierno audivimus in Evangelio : venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* atque ut ceteros Mediatoris nostri situs præterea placet solius Evangelii hodierni inhærere sententiæ , & cur per medios fines Decapoleos JESUS iverit , paucis investigare. Vocari haec poterit quæstio Aurea, quia de aurea aget mediocritate.

Taceo ingeniosissima variorum Authorum super hac quæstione responsa, meum duntaxat depro-

probatur similitudinibus.

mere mihi liceat sensum , cur per diocritatem: sive enim per decapolim decadem divinorum præceptorum intelligamus, ut vult glosa interlinearis , sive cum Antonio Panduano decem illas Virtutes in Simeone Sacerdote Magno Eccli 50. à v. 1. enumeratas accipiamus; illud nobis semper est observandum, ut nec in observatione Decalogi, nec in exercitio cuiusvis virtutis, medium, exemplo Mediatoris nostri, excedamus. Luc. 5. concluserunt Apostoli piscium multitudinem copiosam, quam dum è longinquo spectat Sanctus Ambrosius in c. 5. Luc. exclamat: *Sed mibi cumulus iste suspensus est, nè plenitudine sui naves pœnè mergantur.* nimirū & spicæ nimiae facilis decidunt, & rami nimii arborem frangunt, & vela nimia navem mergunt, & cibi nimii valitudinem lœdunt. dicebat non nemo Athenæo authore, cùm à lauto convivio surrexisset : si semper ita comedissem, modò non manducâsem. ipsa adeò Sanitas nimia periculosa est teste Hippocrate lib. 1. Apho.

Joann. 1.
v. 26.

Luc. 22.
v. 27.

S. I.
Nimieta-
tem offici-
re variis

Hipp. lib.
2. de rat.
victus.

Apho. 3. & rationem dat, quia si sumnum attigit non possunt corpora proficere in melius, reliquum est igitur, ut decendant in deterius. & alibi: plurimum atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quovis alio modo corpus movere pericolosum, omne enim nimium naturae inimicum. Hispanus valeductine firmus, ut sanitatem augeret, purgationem sumvit, sed hac humores alterati morbum conciverunt, quem post dies paucos mors ipsa est secuta, moriturus itaque hoc sibi Epitaphium hispanicè incidi jussit: *Bene habebam, sed dum melius habere volui, hic jaceo.* & certè ex mente Hippocrat. lib. 2. Aph. 51. non pura, hoc est, infirma corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes. unde Euripides: *morbos parit nimium, quod est mortalibus.* Quid sangvine nobilis, utilius, charius, si ve ut ait Petrus Blesensis Serm. 16. quid amicabilis est humane naturae quam sangvis? quid jucundius homini quam Virtus? virtus ergo quandoque minuenda est, sicut sangvis.

§. 2.
Divitem
Evangelici
cum Copia
facit ino-
pem; &
primorum
concordia
Christianorum
numerus tur-
bat; & ni-
mia dulce-
do facit
dispergere
manna.

Ut coelestis Magister nimietatem noxiā Discipulis diffaderet, hominem prædivitem Luc. 11. proposuit, de quo eleganter D. Basilius apud Jansenium in concord. Evang. c. 85, in 12. Luc. quis non misereatur hominis tantoper obseSSI implicatiq[ue] *& ipsa agri felicitate infelicitis, praesentibus bonis miseri, futuris miserioris.* quid terra illi? segetes generat? non; sed gemitus, annonæ illi uberem messem congregant? nequaquam, nam curas, dolores, miserias angustias coacerat, non gaudet quod domi omnia repleantur, sed pungitur animo ex affluxu divitiarum. Primis Christianis erat cor unum, omnia omnibus communia, & tamen factum est murmur. cur? crescente numero. Act. 4. ut notavit Dionysius Carthusianus in c. 6. Act. quomodo in

tam sancto collegio inventa est dif-
fensio? respondendum quod numero
discipulorum crescente orta est mur-
matio. nemo inter eos malus,
boni omnes, sed multitudine cre-
scente nimetas ipsa pervertere po-
terat, quod enim ex natura sua bo-
num est, ab excessiva multitudine
bonitate exui potest: *Fata secunda
nimis, fata secunda minus.* Ingens
malorum initium est bonarum re-
rum copia inquit Philo lib. de Abr.
hinc est cur Deus per Moysen Exod.
16. populo significabit, ut colligat
unusquisque ex eo (manna videlicet)
quantum sufficit. cur non am-
plius? an caritas erat? absit, sed
scivit Moyses illud Phocyllidis:
quod nimium est, miserum est. cavere
voluit Moyses naufragium, quam tam-
en impedire non potuit, paulo
post enim querulati sunt: *nauseat
anima nostra, vel ut legit Oleaster:
anima nostra angustiis afficit se pro-
pter panem levissimum.* DEum bo-
num! quæ causa murmuris? panis
quod levior, hoc melior. cibus iste
delicatissimus, stomacho congru-
entissimus, prorsus medicus, facilis
insuper acquisu, exiguo labore
parabilis, cur movet stomachum?
vultis causam? Salomon insinuat:

Numer.
21. v. 5.

*panem de cœlo præstisti eis omnem
dulcedinem & omne delectamentum
in se habentem.* quia omne excogita-
bile delectamentum habuit, nau-
fragium ingessit, & quia omnis faporis
svavitatem habuit, idcirco dissipuit.
allegat hanc causam Apollinaris
Scriptor antiquus apud Franc Zefi-
rum in cat. *unum denique multiplex
erat, neque dissimilis cibus ei, quo no-
ster animus pascitur, qui cum unus sit,
multis viribus præstat.*

Sap. 16.
v. 20.

Esther Assueri cor & oculos for-
mâ ceperat adeò, ut Rex diceret, si
dimidiā partem regni petieris,
dabitur tibi. at illa hoc solum po-
stulat, ut Rex veniat ad convivium,

§. 3.
Nimius fa-
vor exiti-
osus Ama-
ni.

PROBLEMA XIII.

& assumat secum Aman. quid plegebus Aman, inimicus Aman? hancine illa gratiam medietati regni præponit? DEUS tibi faveat Aman. gratia quia nimia est, suspecta est: honor iste quia excedit rationem statutū tui. vereor, nè te elevet supra statum & staturam. favor ille, inquit S. Ambrosius *suspectus est*, & ecce finem: *hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman* Esth. 7. vix tam citò Crux te ò Aman extulisset, nisi ad convivium pedem intulisses.

S. 5.
Petrus reprehenditur, scriba vero à Christo amandatur, quia plus nimio iusti voluntatis esse.

Joann. 13. cœpit JESUS lavare pedes discipulorum. stupet inauditum exemplum Petrus & renuit, sed cum seyerum audiret verbum, nè ad scopulum suam allideret naviculam, & æternæ naufragium faceret salutis, non tantum pedes præbet, sed manus & caput. Subintrathic Rupertus Abbas, & querit, num haec Petri actio laudabilis? & resolvit: erravit Petrus. at ego errorem non adverto. quod enim ante non admiserit, comitatis fuit officium: quod manus & caput offerat, charitatis est exemplum. Contentare vult Magistrum, asscurare salutis negotium, & habere magnam partem cum Christo. Ambrosius sanè lib. 3. de Sacram. c. 1. laudat utramque actionem: vide fidem. quod ante excusa vit, humilitatis fuit, quod postea se obtulit, de votio[n]is fidei. Albertus Patavinus Serm. 5. in fer. 5. Maj. hebd. nodum solvit: pedes suffecisset porrigerere, sed ad extrema declinat, unde & excessum Petri Christus temperat, & s[er]vaviter reprehendit, s[er]vaviter inquam, quia severius & gravius à se amandat illum, qui Matth. 8. omnia sua obsequia Christo promittit, ad omnia quantumvis ardua promptissimum se offert, famulatum Christi, & admissionem in discipulorum numerum ardenter expetit: accedens unus scriba ait illi: Magister, sequar

te quocunque ieris. sed Christus, non modò non acceptat obsequia, sed ut vulpem malitiosam tractat: *vulpes foreas habent*. Domine si jubes omnes venire ad te, si deliciæ tuæ sunt esse cum filiis hominum, si tanto labore quæreris ovem quæ perierat, cur hunc qui se ultrò offert, quique nec extraordinariâ & crebrius repetitâ vocatione uti Petrus & Andreas, sed ultrò currit ad te, non admittis? non laudas? non amplecteris? sed insuper tam severè accidis? augetur insuper difficultas, quod immediate antè discipulorum aliis ad Apostoli cum munus & sequelam Christi vocatus, cum veniam ad exercendum misericordiæ, & pietatis opus, videlicet ad parentandum patri demortuo rogasset, minimè obtainuerit, sed vetitus potius sit à Christo recedere. quænam igitur hæc partialitas est Salvatoris nostri? iste abire vult, nec permittitur, iste sequi vult, nec admittitur? Paschasius Ratbertus Abbas lib. 5. in Evang. utramque difficultatem solvit: quod ire non permittat ad parentandum, causa est, quia dixerat juvenis: *permitte primum*, hoc enim ei non primum esse debuerat sed secundum, quia prius est in prima legis tabula DEum diligere, in secunda *verò patrem honorare*. quod autem Scribam repellat, tres causas assignat: *accessit non fide sed tantum labiis dicendo: Magister sequar te*. Secundò, vult sequi, non ut imitetur, sed ut de miraculis & virtutibus lucrum aut vanam querat gloriam. deinde quia excessit in promissis: *sequar te quocunque ieris*, si ad poenas, in medios ignes & rotas iveris, & ego. si sanguinem spargas, corpus feris, aut feritate omni ferocioribus Judæis laniandum objicias, & ego. si mille crucis conscendas, & ego. æqualis

lis tibi ero, & nec unguem latum discedam à vestigiis. hoc profectò fuit nimium, terminos transilis, mediocritatem excedis, alium tibi proinde quære Magistrum, ego te nolo discipulum, quia discipulus meus non est supra Magistrum: *iste nec suam perpendit mensuram nec Christi considerat celitudinem, ignorans quid vel quantum inter se & illum esset.* promittit quod nemo mortalium in hac vita potest. Confirmat hunc discursum Petrus Chrysologus Serm. 19. *Decipit non accedit, qui promittit Dominum incautè sequi, sed ad omnia. dixisset cautius: sequar te. quocunque ieris sic dicit, qui inter se & Dominum, quid intersit, ignorat.*

Nimirum bene Sapiens Eccle. 7. v. 17. *noli esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est. in quæ verba Divus Gregorius Nazianzenus: nè magnoperè justus sis, nè supra modum sapias. nemo igitur sapiens sit, quam convenit, nec lege exadior, nec luce splendidior, nec præcepto diuino sublimior.* Legistarum Scitum est: melius est pauca cautè agere, quam multis interesse periculose, & proverbium commune: *Summum jus, summa injuria, summa lex, summa malitia. non plus sapere quam oportet, monet Sanctus Paulus Rom. 12. bene Martialis:*

Quisquis plus nimio non sapit, ille sapit.

Secundo Reg. 4. v. 5. depingitur mors adolescentis regii Isboseth, cùm meridiaretur securus, & ostiaria purgans triticum pariter obdormiisset. tunc enim verò data portâ ruunt sicarii, & innocentis sanguine se contaminant. vigilasset ostiaria, nihil sinistrum dormienti Regi accidisset, ab utroque dormiente periculum commune oritur & exitium. Quid ostiaria illa designet, observavit ex magno Gregorio Di-

vus Bonaventura apud Sylveiram Tom. 4. lib. 6. c. 23. Num. 126. *Ostiariā dormiente, Isboseth interficitur, quia dum discretionis sollicitudo cessaverit ad interficiendum animam malignis Spiritibus iter panditur.* Ostiaria ergò discretio est, cuius officium purgare triticum, & dimensurare. hac verò oscitante & dormiente direptionis & internecionis periculo anima exponitur.

Quare ut inoffenso pede semitam salutis teramus, inter medios fines decapoleos incedendum nobis meminerimus. Deficiunt ad sinistrum contra præceptum primum, qui neminem Sanctorum honorare & invocare volunt, nisi solum DEum, excedunt ad dextram, quilatriæ cultu adorare Deiparam, aut Sanctorum aliquem plusquam Dulieæ cultu honorare præsumunt; deficiunt contra præceptum secundum ad sinistram, qui nunquam actionibus suis nomen divinum interponere, neque in locis inhonoris precatiunculam ad DEUM fundere solent; excedunt ad dextram, qui ad tertium quodque verbum JESU & MARIE nomina exclamat. & sic de præceptis ceteris discurramus, quorum fines transgredi nefas, per medios autem transire fines sacrosanctum est. in medio enim virtus, medium tenuere beati; mediocritas non tantum aurea est, sed omni pretiosior auro.

Pro Emblemate Icarum in aere volantem, Herculem in trivio stantem, Navim Scyllam inter & Charibdin properantem fingo & inscribo: *Medio tutissimus ibis.* Vel Oenopolam ponamus qui vinum in medio vasis contentum, tanquam optimum indigitat: *in medio virtus.* Vel Sagittam in scopo medio, sive centro spectemus & acclamemus: *medium tenuere beati.*

§. 7.
Emblema

PRO-

in authent.
de tabell.
Circa me-
diū c. 4.

§. 6.
Nisi Di-
scrētio Vir-
tutes cu-
stodiāt, fā-
cile in-
ter-
eunt.